

ROSSET (Pietro)

LAURENTIAS (814 vers)

La présente édition a été établie à partir de celle parue, en 1515, à Paris, chez Josse Bade.

La typographie, qui utilise de très nombreuses abréviations et présente un certain nombre de négligences, a rendu difficile la numérisation du texte. Nous espérons que nos lecteurs seront indulgents.

PETRI ROSSETI LAURENTIAS

AD INTEGERRIMUM VIRUM NICOLAUM PUTEANUM,
BONAM SPEM UTRIUQUE JURIS PROFESSOREM.

LIBER I

L_1 v.1 Pertulit ut rapidis prunas in cratibus heros
2 Hesperius caedesque graves atque ignea ferri
3 verbera, et illusum canimus victumque tyrannum.
4 Ecce faces cratemque gerens telluris alumnus
5 Hispanem mentem movet et vestigia signat
6 qua non flexit iter quisquam solemque cadentem
7 deserit : hunc medius tegit aether, saeva fatigant
8 tela pios, oritur caedes, jam fervere cerno
9 ingentes cum crate focos : aperitur Olympi
10 magna domus ; fortem tollunt ad sidera tandem
11 caelestes heroa chori caeloque reponunt.
12 Inclyte (dura licet nostri dimiseris orbis
13 regna, licet patriam celsa in regione perennem
14 ceperis, haud tamen exiguo tua maxima cantu
15 claudi facta neges) memora quo turbine reges
16 Christigenas pressere pios, quae praemia palmae
17 parta tibi : nunc dexter ades, nil molior altum
18 te sine, jam velum aura vocat, tibi carbasa credo

19 Tempus erat quo celsa duos natumque patremque
20 viderat urbs quondam regnantes Roma Philippos
21 qui rerum Domini falsis coluere relictis
22 cultibus ante alios Christum templisque dicatis
23 sacra tulere novis et se lustralibus undis
24 mersere atque aras vero posuere Tonanti.
25 Jam Latia sedem Christus figebat in arce
26 Urbis post ortum saeculis bisquinque peractis ;
27 non ovis, ardentes nullus veniebat ad aras
28 taurus, nulla focus dubius dabat exta sacerdos
29 consulat ut divos, sed vino et pane litabat.
30 Jura, fides, pietas cum religione vigeant
31 in terris gressusque nova cum gente ferebant.
32 Laeta quies aderat, pacem dabat omnibus aetas.
33 Hosque carere dies odio rectoris iniqui
34 prospiceres sacrisque plagas lustrarier omnes
35 fontibus ac delubra novis fulgescere taedis.
36 At subito caecis velut exitiale latebris
37 exoritur monstrum Decius, qui fraude Philippos
38 excipit infestusque premit, crudeliter ambos,
39 ac regno potitur. Quid non compellis hanc
40 regni dira sitis ? Fasces ubi nactus, ab arce
41 exigit infensus Christum, et sacraria claudit
42 extinctis facibus, primum nece mactat acerba
43 Christigenas sine more furit, loca sanguine sancto
44 cuncta natant, hominum leto tot milia dantur :
45 scinduntur serris alii, pars igne cremantur,
46 hi passim laqueis pereunt, pars altera saevis
47 esca feris datur, hos praecipit vorat aequoris unda,
48 vivos terra (nefas) alios tegit : omnia luctus
49 occupat, apparet facies crudelis ubique ;
50 quos non terrarum orbis amat caelum aggerat illos.
51 Ille, ubi prospexit furiis correptus amaris
52 sacrosancta magis varias ut surgat in altum
53 per clades et tela fides foveatque tonantis
54 aura pios, sine fine fremit mentemque severam
55 induit, atque animos amens sensusque fatigat.
56 Ergo ad se proceres patribus jubet ire vocatis
57 altas intra arces, atque agmina conscia cogit.
58 Convenere omnes, justum quibus una cruorem
59 spargere cura fuit, tenuere sedilia patres,
60 rex sedet in solio, mentem gravis asperat ira.
61 Mox quatiens caput haec dirus tonat ore superbo :
62 "Romulei audite, o cives, quos maxima tangit
63 summae cura rei. Soliti qui vincere semper
64 vincimur a victis, turbae paremus inermi.
65 Quid tandem ? Ipse (secus vertant dii) jura videbo
66 urbem aliena pati et mores tolerare superbos,
67 et nostras lapsu vires graviore jacere.
68 Christicolae (dicam paucis) augentur in horas
69 diis genus invisum nostris et robora firmat
70 contra urbem gladios acuunt et tela luposque
71 atque canes nos esse ferunt, qui foedera Christi
72 spernimus et cultum insolitum, inde horrentibus omnem
73 prodigiis populum terrent patriosque lacesunt
74 ore deos, celsa tendunt quos pellere ab arce.

75 Supplicii prius atque necis patientur acerbae
 76 omne genus, quod thura negent committere Christo :
 77 undas, tela, faces, laqueos regumque furorem
 78 illudunt, labique aiunt sibi caelitus auram
 79 qua dubiis ergo (o cives) obstare periclis,
 80 aspera quaque etiam liceat propellere fata
 81 suppetiasque dare et sceptris succurrere nostris.
 82 Dicite, fors quando Romam mutabilis urget."
 83 Haec Decius. Mutata gravis simul occupat ora
 84 cunctorum pallor, dictis fremuere tyranni
 85 Romulidae. Hinc saeva quidam correptus Erinni
 86 quem iuvat effusus cruor et durissima caedes
 87 Christigenum ; has torva deprompsit fronte loquelas :
 88 "O secus illa forent quae das, fortissime rector,
 89 orbis acerba magis superi portenta repellant.
 90 Ecce ego Christigenum multa de caede cruentus
 91 adsum illos contra illus tela aspera gessi
 92 nec captos terrere minis, nec flectere leto,
 93 nec precibus superare datum est ; laetantur acerbis
 94 ensibus oppetere atque nova pro lege cruorem
 95 fundere, pro Christo caesi tela irrita ducunt.
 96 Aut licet occidere, aut probris imponere finem.
 97 Hic (quem carcer habet) pestem Laurentius istam
 98 succitat atque ignes reteggit, quibus inclyta quondam
 99 Roma cadet. Tanti caput ille mali erigit in spem
 100 diis stirpem invisam patriis et fortia reddit
 101 pectora nos contra ; et miseros spe pascit inani
 102 et variis in sacra modis nova flectit inertem
 103 prodigiis populum terrenis et numina nostra
 104 daemona esse refert Stygios, et sede locata
 105 Christicolae dignos modo censet ; scilicet inquit
 106 astra super solus caelo meliore fruatur
 107 qui primi labem genitoris terserit undis,
 108 cui sit firma fides, animo cui Christus inhaeret.
 109 Rem paucis referam, quae nos ciet acriter una :
 110 Christigenum antistes Sixtus, qui sanguine fuso
 111 jussis ante tuis periit, grandem aeris acervum
 112 tradidit huic moriens famulo caecosque Philippi
 113 thesauros retulit, pondus quod quaerimus auri.
 114 Ad Christum nunc vulgus inops Laurentius aere
 115 attrahit atque novas priscis ut praeferat aras,
 116 grandibus innumeros oculis munere vertit.
 117 Cum nece det poenas citius, mora longior absit
 118 in stirpe ut prorsus cadat arbor scinditur imo
 119 si nostro caput ense ruat ; genus omne ruinam
 120 protinus invisum trahet et mittetur in Orcum
 121 sic probris dabitur modus et parta otia nobis
 122 semper erunt." Sic ore ferox ait. Illius omnes
 123 impia concordem tenuit sententia reges.
 124 Nox ruit et mersis Phoebus jubar aequore plaustris
 125 tingit, et occiduis serus micat Hesperus orbis
 126 Lunaque purpureo terras circumspicit ore.
 127 Fortibus interea vinclis et carcere caeco
 128 detentus vires animo Laurentius haurit
 129 aethereas ; contra fastus sua tela tumentes
 130 praeparat humanis spoliatus viribus et se

131 roborat, ut palmam referat de rege superbo.
132 Ut Thrax aut Parthus telis instructus et arcu
133 contra hostem vires auget, movet atra ferocem
134 armorum facies fingitque fugam atque timorem,
135 inde aversam aciem pulsus premit ille sagittis.
136 Haud secus in dirum juvenis parat arma tyrannum
137 atque auram caeli implorat (nam fluxa virum vis)
138 semper et aethereo mentem meditatur Olympo
139 jacturam ne forte fides sincera subiret
140 horret et infirmis metuit clademque piorum
141 surgentem dolet illa frequens (quam carcer habebat
142 turba hujus facilem monitis accommodat aurem)
143 mirantur nova gesta omnes, ut scilicet auram
144 vitalem gelidis et caecis lumina reddat.
145 Non Christum censere deum : cultusque verentur
146 antiquis praeferre novos, sacra flumina poscunt,
147 quos inter sancto perfusus numine custos
148 carceris Hippolytus gravium spectacula rerum
149 obstupet, ac leges fidei cognoscere nostrae,
150 nititur et cunctis Christo servire diebus,
151 et sacros latices cupit. Ergo heroa benignum
152 sollicitat precibus supplex ac talibus infit :
153 "Care deo pater electae spes intima gentis,
154 quo sanctae crescunt duce relligionis honores,
155 tam praesens faveat rebus tua dextera nostris,
156 mirarum novitas rerum et veneranda coegit
157 me fidei pietas, ut te et tua numina fupplex
158 orarem, et spretis peterem nova foedera priscis
159 nunc unum posco (quando sacer esse minister
160 diceris) ut sacris tingas mea corpora lymphis
161 et celebres fidei cultus verumque Tonantem
162 me doceas caelique vias et sidera pandas."
163 Talia fundebat custos vultuque supino
164 et genibus flexis gemitus cum voce ciebar ;
165 nox sacer his dictis famulus laetatur abunde
166 atque aras onerat votis dextraque precantis
167 accipit. Inde illum placidus purgantibus undis
168 abluit et sacro tergit commissa lavacro.
169 Praeterea obliquos caelorum ut fecerit orbes
170 utque elementa rudi discreverit auctor acervo
171 Omnipotens, terram, fluvios docet, aethera, flamas,
172 ut sit cretus homo, quem cunctis ipse creatis
173 praetulit, hujus eum repetens scelus addit acerbum,
174 quo peior miseros sequitur natura nepotes,
175 ut nova de caelo formam delapsa propago
176 ceperit humanam atque humiles assumpserit artus
177 aerumnasque graves tulerit cum gente superba
178 expedit, et durum fati genus insuper addit,
179 addit supplicium arque crucem et convicia gentis
180 (sed prius egregia memor inquit dicta teneto)
181 in cena ille dedit leges et sacra novavit.
182 Mox primi labem genitoris morte piavit
183 vitalemque auram (radiis ubi tertius orbem
184 sol reserat) rursus carpit lucemque revisit,
185 inde, Erebo domito, caeli conscendit in arcem
186 aetheriam, et longum solio subnixus in aevum

187 res cum Patre potens lata dicione gubernat,
188 post sanctus famulis caelo demittitur alto
189 Spiritus, ut fragiles animos et pectora firmet.
190 Ipse omnes vocat, at solos dedit esse beatos
191 imbre sacro lautos, qui mystica jussa capessent,
192 ut terram caelique plagam et mare conteret ignis
193 fervidus et lato veniet lux ultima mundo,
194 qua dabit astra bonis iudex et mittet in Orcum
195 sordibus immersos scelerum, ut sua spiritus omnis
196 rursus membra petet nullis peritura diebus
197 ille refert, Erebi poenas caelique quietem
198 detegit et dictis caelestia dona revolvit."
199 Conticuit tandem, ast imis ea dicta reponit
200 sensibus Hippolytus, celsamque implorat Olympi
201 pronus opem et Christum merito dignatur honore.
202 Lutea jam vultus roseos aurora ferebat
203 aethere ab excelso rutilans et laetus Eois
204 Lucifer ardebat flammis solisque sub ortum
205 ardua concentu volucres per tecta sonabant.
206 Extemplo Caesar (quia ruperat ira soporem)
207 surgit, et ex molli strato sua membra retractat,
208 lucentes radiis rimas solemque tuetur :
209 regem aurum tegit et miratur purpura regem ;
210 egreditur lectis magna stipante caterva
211 regalem aspiciens luxum fastuque superbo
212 efferus immensam quaerit non immemor arcem
213 consilii, atque minas tollit correptus Erinni
214 molitur sceleris semper mens improba quicquam :
215 "Qua penitus cunctos poterit jam tollere pendet
216 Christigenas, Christumque simul detrudere mundo
217 scilicet hoc terrarum inquit, genus orbis habebit
218 invisum ? Semper vivet ? Non ense peribit
219 funditus ? In reges acuet sua tela togatos
220 et priscos cultus patriosque impune penates
221 illudet ? Veteresque faces exstinguet ad aras,
222 et deus iste novus sedem sibi figet in arce ?
223 Non ita : Roma licet perdat cum robore cives
224 innumeros generisque cadat pars maxima nostri
225 non ensis cuiquam parcat, non unda nec ignis."
226 Sic furit. Atque animo dum curas volvit inanes,
227 bile tumet, facie pallet torvisque rubescit
228 luminibus, stimulos sceleris furor omnibus addit
229 instabilis furiis agitur cogitque dolorem.
230 Ut lupus immensos nemorum quem linquere saltus
231 compulit atra fames, praedae memor ora ferino
232 more ciet pecudumque gregi postrema minatur.
233 Praeterea Decius volvens scelus impius intus
234 fortibus ingentem vinclis heroa revinctum
235 adduci jubet, et coram consistere mandat,
236 quem terrere minis et duris flectere possit
237 suppliciis fatoque premat, si vota recuset
238 falso ferre Jovi, atque aris dare tura deorum.
239 Ecce virum ad regem custodes agmine ducunt
240 infesti et coram statuunt spectante caterva,
241 qui non sublimes vultus faciemque nitentem
242 mutat, non animum perdit, sed colligit artem

243 vincendi et pergit solidus, caelumque tuetur.
 244 Dixisses fortem posita formidine in hostes
 245 telum ferre duces et vultu sperare tropaeum.
 246 Postquam illum stabili conspexit pectore Caesar
 247 astantem, sine fine fremit vultusque severos
 248 induit infensus, stimulat praesentia mentem.
 249 Tandem tristis ait, rumpitque silentia dictis :
 250 "Quid veterum leges crudeliter improbe divum
 251 incusas nostrumque Jovem detrudis Olympo :
 252 qui juvat an nocet ? An patrii qui nostra tuentur
 253 dii male te stimulant ? Quisquam non jure lacessit
 254 ni fuerit laesus, manet hunc quem triste nocentem
 255 supplicium, divos qui laeserit ore procaci
 256 innocuos, cultum, quem plurima viderit aestas
 257 arguis et semper tenuit celebrata vetustas.
 258 Ede solum natale tuum. Hanc quis te egit ad Urbem ?
 259 Quos etiam inde tui tantos habuere Philippi
 260 thesauros resera, pondus quod quaerimus auri."
 261 Talia quaerenti posita formidine leti
 262 ocus haec stabilis reddit Laurentius heros :
 263 "Non equidem tibi, rex, dictis incerta movebo,
 264 de rebus vera accipias simul omnia. Non me
 265 Christigenum de stirpe nego ; contraria nostris
 266 sint tua fata licet, nobis licet arma minaris.
 267 Terra mihi primos Hispanica praebuit ortus,
 268 sacrorum antistes fidei dum foedera nostrae
 269 ultima in Hesperia Sixtus clamore referret
 270 quem nuper gladio insontem pressistis acerbo.
 271 Insignem Christum novi cultusque salubres,
 272 atque olim sacri laticis caput abluit unda.
 273 Ille huc me puerum postremis duxit ab oris
 274 Hesperiae ; aetatem pariter regnante Philippo
 275 egimus antistes Sixtus pia maximus aris
 276 tura dabat tutasque rates et vela quieto
 277 flectebat pelago postquam cecidere Philippi
 278 unius ob scelus immensis convolvitur aequor
 279 flatibus et quatitur navis, rectore perempto ;
 280 dum caput insontis truncaret lictor amici
 281 maerorem coram vultuque et voce fatebar.
 282 Me rapuit miles multus manicisque revinxit,
 283 carceris extemplo caeci demisit in antrum.
 284 Attamen obfuerint nobis tua numina numquam
 285 nec possunt cui Christus adest nocuere diebus
 286 humani generi lapsis : nunc plurima turbant
 287 alterius damno numquam dolet impius ; anne
 288 via dolere licet demittere fata sub umbras
 289 innumeros homines ? Caelique includere portas ?
 290 Sed deus aerumnas hominum miseratus acerbas
 291 caecum vidit ut errorem : demisit ab astris
 292 progeniem, nostro quae pelleret orbe tenebras,
 293 omnibus ut lucem daret et spoliaret Avernum.
 294 Nunc fragilis quae tanta tibi fiducia regni,
 295 insuperum vires capias ut debile telum ?
 296 Incassum attentas celsi decreta Tonantis
 297 vertere, qui caelos, mare, condidit, aethera, terram,
 298 humanumque genus, finem, si jusserit ille,

299 cuncta pati, in nihilum videas elementa redire.
 300 Nec fluvios ripas, nec cingere littora pontum
 301 prospiceres, Phoebus radiis non plena sororis
 302 cornua lustraret, rutilo non lucifer igne
 303 surgeret ante diem, omne faces deponeret astrum,
 304 quemque suus premeret casus sine fine timentem.
 305 Dilectos superis saevo non improbe telo
 306 Christigenas quareres, verum pater ipse malorum
 307 omnipotens gladium exspectans illudit inanem,
 308 demum tela parat, quibus olim frangitur omnis
 309 impius et poenas passurus labitur Orco.
 310 Hoc gravius vindicta Dei quo serius urget,
 311 supplicibus facilis veniamque petentibus umquam
 312 non negat et caeli sedes bonus annuit ultro,
 313 quare age rex veniam supplex pro crimine poscas
 314 et Deus ipse volens dabit, et tela aspera condet.
 315 Majores tibi (postquam aderit lux tertia) pandam
 316 thesauros : ubi sit rerum bona copia dicam.
 317 Tunc spectabis opes quantas habuere Philippi."
 318 Talia dicentem procerum densissima turba
 319 mirantur, quae tanta tenet fiducia captum
 320 quid coram stabili deprompsit fronte volutant.
 321 Talibus extemplo dictis quatit ora tyrannus
 322 efferus ; inde ater faciem color ociter haurit,
 323 lumina purpurei cernuntur sanguinis instar,
 324 ampliushaud animum potuit retinere ferocem
 325 si non forte fuisset opum funesta cupido,
 326 quae facinus vetuit, si non sperasset avarus
 327 (postquam dicta dies foret) ingentem aeris acervum
 328 magnanimus juvenis (quantum scelus excitat ira)
 329 cum gravibus poenis praesentia fata tulisset.
 330 Ergo composito surgentem mitigat iram
 331 princeps atque animum vana spe pascit habendi
 332 captivum Hippolyto tradit, lux tertia quando
 333 afforet ut domino rursus daret ille petenti.
 334 Assidue superis haeret fortissimus heros
 335 haud quicquam mortale timens viresque caducas.
 336 Quid faciat ? Cernit contra spem regis avari ;
 337 tunc sic Hippolytum dictis affatur amicis :
 338 "O dilecte, mihi rerum cui maximus auctor
 339 affuit, Hippolyte, ut placitum est, meliora facessam
 340 argenti petit atque auri mirabile pondus
 341 rex Decius, dandum moriens quod sixtus egenis
 342 mandaratum speratque aderit lux tertia quando.
 343 Jam quod habent dedimus, superat pars altera nobis
 344 quam plebs rursus habebit inops et debile membra
 345 vulgus, ne monstrum pariat nova copia rerum."
 346 Multis : "Quis sceleratus opes habet, acriter obsunt
 347 quas pius assidue prosunt, nova sulphura flammis
 348 accedant, subito sument incendia vires.
 349 Quare age (nequiquam metuas) mihi fidus ubique
 350 sis comes, et facilem perituris celsa paremus
 351 rebus in astra viam : aera quibus bene possumus uti
 352 aspice : nunc misero generi praebere necesse est."
 353 Sic ait Hippolyto passim comitatus amico,
 354 aes capit, ingentesque vias et compita lustrat,

355 urbe senum et juvenum densissima confluit unda
 356 undique ; quos miseros quondam sors aspera fixit
 357 adque stipem veniunt, avidi praebentur egenis
 358 magnae regis opes, facti Laurentius auctor.
 359 Haec dum multiplici feliciter urbe geruntur,
 360 ecce jacet sacri quidam secus ostia templi
 361 caecus homo plantas teneris detentus ab annis,
 362 quem genitrix oculis captum dimiserat alvo.
 363 Ille, ubi sentit adesse virum delubra petentem,
 364 poplitibus flexis supplex clamore precatur :
 365 "Tu pater ipse Deo carus cui numina curae,
 366 respice me propius caecoque et lumina redde,
 367 et pedibus vires : tibi praebet cuncta petenti
 368 desuper ipse favens Deus et largitur abunde
 369 jam terdena meos post ortus volvitur aestas,
 370 cum vitam in terris longi per taedia casus
 371 per varios luctus per multa incommoda duco :
 372 detentus levibus plantis et cassus utroque
 373 lumine, me miserum genitrix sic pertulit alvo :
 374 nulla qmes nobis, solacia nulla supersunt.
 375 Hanc animam exspirare magis quam vivere terris
 376 infelix volui ; at celsi dum munere caeli
 377 mira geris, superant hominum tua gesta favorem,
 378 speravi pedibus vires et lumina vultu.
 379 Nunc igitur misero fer opem, miserere doloris
 380 immensi." Vix fatus erat cum pronus Olympi
 381 sollicitat precibus dominum Laurentius imis :
 382 "Tu pius, o Christe, et facilis, qui maximus astra
 383 et terram ditione tenes et foedere tractas,
 384 quo saevis mortale genus duce tristis Averni
 385 faucibus elapsum supera regione quiescit,
 386 da misero visus et plantas robore firma,
 387 exstet ut in terris tua magna potentia nostris
 388 et verum cum patre deum te sentiat orbis."
 389 Talia dicenti niveus color ociter ardet
 390 amplexus nigrum, fit cornu concavus orbis.
 391 In more bullae surgentibus aura refulget
 392 clara oculis radiisque ferit nova lumina Phoebus.
 393 Jamque stupet qui caecus erat caelestis Olympi
 394 insuetamque soli faciem rerumque colorem :
 395 per loca rectus iter levibus facit omnia plantis.
 396 Mox Christo grates agit et celeberrima reddit
 397 vota libens, riguasque gradu festinat ad undas
 398 laetior et sacrae fluviiis lustratur aquai.

FINIS LIBRI PRIMI

PETRI ROSSETI LAURENTIADOS LIBER SECUNDUS

L_2 v.1 Tertia jam tulerat terris aurora serenam
 2 expectata diem, rutilis sublatus ab unda
 3 Phoebus equis colles radiis lustrabat opacos
 4 cum rursus manus omnis opus petit atque laborem.
 5 Inde ingens tectas effunditur unda reclusis
 6 ingentesque vias stipat, jam voce resultant
 7 compita, promissi citius non immemor heros
 8 Hesperius, dudum facinus componere pendet
 9 conceptum atque novam vincendi colligit artem
 10 insanas monstri fauces ut frangat hiantis.
 11 Extemplo incedit pius et sua tecta reliquit,
 12 Urbis et excelsa cuncta regione vagatur
 13 atque inopum genus explorat, quos undique cogit
 14 ante arcem statuens, per compita lata frequentes
 15 conveniunt omnes quos aut donaverat aere
 16 aut quibus amissas vires infuderat aegris.
 17 Ecce adsunt alii, senium quos triste moratur,
 18 pars pedibus capti atque oculis, pars altera lingua,
 19 inde alii, quibus auditum natura negavit,
 20 infelix non vulgus abest. Laurentius altam
 21 omnibus ante arcem lectis cum paupere coetu
 22 stat regem opperiens, regi ut spectacula reddat
 23 tristia spemque nova persuaserat arte caducam.
 24 Nunc age quis malus, o Clio, mortalibus error
 25 haesit, ut insontes leto tulit impetus ardens,
 26 cum pia jam celeri peteret fastigia gressu
 27 relligio, et saevis staret tot cladibus actis
 28 deducam gladiosque graves et verbera dicam :
 29 tu nos, diva, doce subjectos cratibus ignes
 30 addam actos odiis frustra caelestia contra
 31 jussa viros fidens graviorem molior orsum
 32 et majora cano. Subolis post fata supernae
 33 tela per et clades olim mediosque per ignes
 34 nostra viam non victa fides stridente procella
 35 invenit nubesque super caput extulit altum,
 36 cladibus immensis afflicta vigebat honore,
 37 dum foret imperio composta pace Philippus :
 38 tuta dies positis dabat ensibus illa quietem
 39 Christigenis ; numquam pietas aut jura jacebant.
 40 Verum ingens Decius turbo sublatus ab antro
 41 fata facesque ferens oritur, sumptisque quietem
 42 acriter evertit gladiis atque omina turbat.
 43 Defluit humanis rebus venerabilis aetas,
 44 iraque cum pietate ruunt turbante tumultu,
 45 per freta ceu caelo velis cum forte sereno
 46 navita flexit iter, Boreae furit impetus undasque
 47 instar montis agit, nautam vorat aequoris aestus

48 fluctuat et merso fragilis rectore carina ;
 49 jam veterum tali repetitis tempore fatis
 50 Christo vota precesque homines et tura negabant,
 51 vana superstitio Christum deduxit ab arce,
 52 non timor hos sacro lustrari fonte ferebat,
 53 maxima pars studium Decii crudele secuta
 54 Christigenis oberat legesque urgebat Olympi,
 55 principis obsequitur votis mutabile vulgus
 56 gaudebant alii cultus paedore vetusti,
 57 quos longi tenere usus jamque impius omnem
 58 moverat ingenti populum terrore tyrannus
 59 pollutisque neci dederat tot milia palmis.
 60 Illum non patitur caecis dormire superba
 61 noctibus ambitio et auri funesta cupido
 62 semper hiat : terris quid principe pejus avaro ?
 63 Expectatam igitur lucem haud oblitus et aurum
 64 cum primum Phaetontis equis Titana relatum
 65 vidit : mox ardet tectis exire superbis
 66 et sese parat in medium proferre virisque,
 67 coram ostentare et fastus jactare superbos.
 68 Confluit ad celsas aedes Romana juvenus
 69 et proceres laeti atque equitum celeberrimus ordo ;
 70 protinus instructi telis in limine regem
 71 cunctantem exspectant custodes agmine denso,
 72 stipatus sonipes furit et terit ore lupatum,
 73 cum demum procerum densa comitante caterva
 74 omnibus incedit fulvo conspectus in auro,
 75 cui penitus laetum Tyrii decus emicat ostri,
 76 postquam ad summam arcem ventum est atque aurea tecta,
 77 restitit ante fores oculis circum omnia lustrans.
 78 Ecce aderat dextra juvenis cum paupere turba
 79 qui positus curis coram se ostendit ; at ille
 80 hanc ultro rumpit vocem et tonat ore superbo :
 81 "Mensne eadem ? An velox alium te fecerit hora ?
 82 Tempus adest aurum nobis quo reddere pactum est,
 83 promissis ergo maneat, Christumque relinquant
 84 antiquosque colas divos : tu tristia prorsus
 85 supplicia evades : mea te gens omnis amabit,
 86 ante alios mihi carus eris, tibi digna rependam."
 87 Dixerat. Ast animi collectis viribus heros
 88 sic ait insignis : "Quae dicam corde volutes ;
 89 mens eadem, haud alium velox me reddidit hora
 90 promissis (utinam cupias) majora capesses :
 91 auctum est terque quaterque brevi quod quaeritur aurum
 92 huc faciles oculos flecte atque hanc aspice turbam
 93 quae miseram sortem patitur durosque labores :
 94 Ad caelum loculos tulit et supera auxit in arce.
 95 Scilicet hic ingens tectum regnumque perenne
 96 (quando diu terram ut numquam ditione teneres
 97 norat, et exiguum esse diem mortalibus aegris)
 98 actutum peperit tibi ; si fert corde voluptas
 99 regna perata petes credas post funera tandem
 100 sed frustra suades vafer : ut tua pronus adorem
 101 fata, quibus caecis Erebi sepelitur in umbris
 102 humanum genus et poenis sine fine moratur
 103 insuper ingentem Christum cum patre relinquant ?

104 Quo saevis mortale genus duce tristis Averni
105 faucibus elapsum supera regione quiescit,
106 contra fas et jura petis, tua dona capessam
107 sarcinulas fragiles caelo meliore relicto.
108 Maxima caelorum perituris gloria rebus
109 praestat, quam spreto quisquam me perdere Christo
110 non aget, aut aris divum dare tura vetustis."
111 Hunc non plura loqui furiata mente tyrannus
112 pertulit, atque amens est vocibus usus amaris :
113 "Proh scelus infandum ! Fragilis sic salva fides est
114 hoc mihi servasti, ut falsis me illudere tandem
115 vocibus et curis gravibus confundere posses
116 diis saltem patriis precem dum erat, improbe (credas)
117 tanta lues dignis porro convicia poenis :
118 supplicii genus acre feres ; non regia dictis
119 jura deosque impune putes laesisse protervis.
120 Quid possim citius cernes : delapsus Olympo
121 ut tibi (Christus) opem feret in mea sceptrata videbo
122 haec ubi dicta, truces diro vocat ore ministros
123 quos properare jubet, flagris ut fortia flectant
124 corda viri, teneramque cutem vibice lacesant,
125 et largo rubeat tellus conspersa cruore.
126 Poena inde huc superet : lictores quattuor ecce
127 convenere, quibus mortali sanguine dextras
128 tingere cura fuit ; sumptis rapuere flagellis
129 captivum, obliqueque manus post terga catenis
130 pressere, ad poenas agitur spectante caterva."
131 Est locus ante arcem stratis latissima porro
132 area suetus ubi sub dio ludere civis ;
133 in medio ad tenues auras stat rasile lignum.
134 Hic nudus premitur vinclis ante ora tyranni
135 infesti crebris lictores ictibus una
136 incumbunt, flagrisque levem simul aera tundunt,
137 certatim motis inscribunt terga lacertis.
138 Jam teritur cutis, et duro fit verbere sulcus,
139 per faciem omnem perque humeros corpusque per omnem
140 effluit inde cruor plagis emissus apertis
141 fluminis in morem et passim tellure vagatur :
142 horret caede locu faciemque ostendit acerbam.
143 Jam fera turba jacet duris defessa flagellis.
144 Illum ubi non flagris Decius mutarier umquam
145 posse videt regum neque ferrea tela vereri,
146 lictores alios statuit, qui tristia reddunt
147 supplicia ut fustum plumbum vastisque caminis
148 candentis ferri massas, atque ignea rursus
149 tela ferunt ; calidum crudeles addere tergo
150 ferrum instant fusique emittere flumina plumbi.
151 Uritur, et stridens trita cute sanguis abunde
152 aestuat et tenues surgit fervore sub auras
153 fumus. Supplicii horret dedignata tueri
154 densa corona genus calidasque in corpore massas
155 viribus insignis rapidos Laurentius aestus
156 sic patitur : vultus prodit non mobile pectus
157 mox faciles oculos supplex ad sidera tollit
158 et Christum ingentem validis ita vocibus orat :
159 "Maxime caelorum propius me respice rector

160 viribus humanis cassum, caelestis egentem
161 auxilii. Nobis abs te via prima salutis
162 panditur et praesens terris tua labitur aura.
163 Tu quales instant cernis quantique labores.
164 Hanc lege dextra animam, Pater, et solare precantem."
165 Audiit excelsa rerum Dominator ab arce
166 atque oculos citius Latio defixit. Ut atras
167 aerumnas vidit, solio delapsus ab alto
168 adventus dat signa sui : domus ardua caeli
169 intonat et rutilis passim micat undique flammis
170 et fulgore novo medius dissolvitur axis ;
171 diffugiunt nebula, stupet aetheris ora sereni
172 instantemque Deum tellus testata tremendo est
173 concutiturque magis ; tractus volat ipse per altos
174 aeris immensi et caelo festinat aperto,
175 vestibus ut niveis tectus supra astitit urbem.
176 Mira fit juvenis specie atque ita fatur ab alto :
177 "Vir mihi care feras, cedet tibi palma ferendo
178 sic emitur mea magna domus regnumque perenne.
179 Ipse adero (numquam metuas) poenasque levabo,
180 noxia tela teram." Dictis sic talibus orso
181 fit fremitus proceres inter : divina Quirini
182 verba Dei noscunt, et tristia signa volutant
183 immanesque minas metuunt clademque futuram.
184 Lictoresque, metu captos, nova monstra monebant
185 amplius haud massae ferri candentis adurant.
186 Forsitan et miles Romanus nomine caelum
187 suspicit, atque oculis spatium ingens lustrat acutis :
188 ecce Deum juveni similem (res mira) tuetur
189 afflicti supra ora viri volitare per auras
190 tytanosque faces vultu superare sereno.
191 Mox tenuem medio in coetu quatit aethera voce :
192 "O cives, qualem caeli regione vagari
193 et quantum juvenem video, miserique levare
194 supplicium et niveo plagas abstergere panno,
195 cernite nunc ipsi fines assurgere rerum
196 cunctarum ingentesque polos famularier omnes.
197 Denique me Christo caeli terraeque potenti
198 parere et sacris lustrari fontibus opto." (début du vers altéré par une
199 Tabibus effato, quatit acrior ima repente tache)
200 corda metus : toto pallescunt ore Quirini,
201 militis intrepidi vocem mirantur, et urbis
202 exitium haud dubiis censent consurgere monstris
203 tristia quandoquidem cunctos praesagia terrent.
204 Haec ubi dicta videt contra sua vota tyrannus
205 aestuat atque hominem letum sine fine minatur :
206 "Vos agite, o juvenes vita spoliatae profanum
207 qui penitus spretis Christum veneratur avitis
208 cultibus immensi Jovis : acres nuda flagellis
209 caedite terga, inquit, citius. Locus insonet omnis
210 verberibus crebris et sanguinis horreat unda."
211 Sic ait. Haud mora Romanum rapuere feroces
212 lictores, positisque humeros sparsere cruorem
213 exuviis : liquidus crebris sonat ictibus aer.
214 Quin etiam ense virum premit ater lictor, at ille
215 alget, et astra super sedes conscendit in altas

216 et patriam supera capit in regione perennem.
 217 Tum manicas et vincla jubet rex solvere capto
 218 qui caecum nudus trahitur pallentis in antrum
 219 carceris expertemque in sedem lucis amoenae.
 220 Praeterea multi (quoniam illos signa movebant
 221 insolita et caeli favor auctus in astra vocabat)
 222 non vero dare tura deo cultusve salubres
 223 accipere, aut priscos metuunt damnare penates
 224 et sacris demum primi scelus omne parentis
 225 fontibus abstergunt quos impius obruit ensis.
 226 Atque alii infando metuentes verbere caedi
 227 immensum fidei decus aspernantur et aras :
 228 mira licet rerum novitas mortalia cogat.
 229 Tormenti genus insuetum formidine turbat
 230 Christicolas : vulgo fugiunt variisque teguntur
 231 sedibus. Hi penitus lectis conduntur opertis
 232 lustra petunt saltusque alii atque in montibus errant
 233 luminis expertes, alios spelunca latebris
 234 donat ; pars (fletu dignum est) longinqua requirit
 235 moenia ; pars letum patitur, quam gloria caeli
 236 incitat ; haud odium metuit crudele tyranni
 237 talia per populos. Animo quae cuncta volutans
 238 anxius in melius verti Laurentius ardet ;
 239 pro populo in caelum conversa fronte tonantem
 240 his precibus rogitat : "Solio qui solus ab alto
 241 cuncta vides sensusque hominum scutaris apertos
 242 aethereos avibus tractus, mare piscibus imple
 243 frugibus omne solum, claris caelum ignibus ornas,
 244 cui paret superum coetus, quem pallidus Orcus
 245 horret, quo tanto laetantur principe cuncta,
 246 insignem ratione hominem, cui sidera donas,
 247 fecisti ut tua divino tantum ora referret
 248 pectore. Sed Stygii ille actus livore Barathri
 249 letiferas fruges contra fas carpsit et hausit,
 250 quod scelus ingratum tota cum gente parentem
 251 ad Stygii sedes illabi fluminis egit.
 252 Verum tu facilis mitisque, et fortis, et aequus,
 253 jacturam hanc miserans sarsisti tanta cruore
 254 damna tuo et durum hausisti cum funere tandem
 255 supplicium, ut diro caelos elapsus Averno
 256 laetus homo peteret, cui legem et foedera ponis
 257 legisti ipse gregem in terris, cui septa ducemque
 258 haec dedit egregia urbs, medius quam plectitur aether
 259 ecce autem fractum ut cernis percurrit ovile
 260 infestus lupus atque locos se vertit in omnes ;
 261 irruit in pecudes siccis quas faucibus horrens
 262 excipit et vulgo sternit caeditque voratque,
 263 et penitus grege disperso vagus omnia vertit.
 264 Tu qui cuncta vides solio sublimis ab alto,
 265 respice nos lectique gregis non immemor acrem
 266 perde lupum, atque animas dextra tutare piorum
 267 humanumque statum in melius refer et mala solve."
 268 Talibus orantem sublimis regia caeli
 269 audiit, excelsoque preces placuere Tonanti.
 270 Mox favet ille bonis infirmos robore firmat
 271 ulciscique pios statuit gladioque furenti

272 obstare, et fidei quondam facere otia nostrae.
273 Nox erat, et pulsa terram jam luce tegebat,
274 et polus ardebat flammis caelestibus omnis.
275 Cum magis atque magis crudum gravis ira tyrannum
276 asperat et dirum in facinus crudeliter urget,
277 tunc furit atque animi noctem dolor aeger adurit ;
278 nunc torvam faciem ostentat, nunc pectore curas
279 aggerat. Haec tristi fecum sic corde volutat :
280 "Heu totis equidem conatus viribus unum
281 vertere non potui. Porro nihil acre relictum est
282 supplicii : metuit (video) mortalia nulla
283 tela ferus. Mihi quid superat ? Quid possumus ultra ?
284 Jam mea sceptrata jacent : sceptris vis tollitur omnis.
285 Contra quid possum ? Solitum cum vincere semper
286 me superat captus. Quod si nil ferrea massa
287 aut plumbum potuit, cunctos quod terreat addam
288 tormentum (credas) bovis acrius aere Sicani,
289 Christo sacra feras. Esto, et te fluminis unda
290 abluerit ; flammaram aestus cum crate videbis
291 fervere et indomitis facibus tua terga repones."
292 Talibus effatus. Turbam vocat ore ferocem
293 lictorum (in pejus mentem furor improbus urget)
294 ut flammam illi dura cum crate ministrent.
295 Imperat et vinculis ducant herosa revinctum.
296 Extemplo in mediis per noctem moenibus urbis
297 immensus struitur focus et vis maxima flammae :
298 fervidus instantes pellit procul aestus ab igne.
299 Et locus ambiguus immixta luce tenebris
300 horret, et in taedis facies incerta vagatur.
301 Cunctorum obtutu ferri latissima crates
302 (infandum) trahitur flammisque imponitur ultro.
303 Captus adest juvenis. Decius rex vidit ut illum
304 terque quaterque caput quatiens sic acriter orsus :
305 "Quid volvis tandem ? Incoeptis an semper inhaeres ?
306 Tu Christum linque, et patrios venerare penates.
307 Aut te nocte premet tota torus iste jacentem
308 ferreus, et saevis facibus tua terga repones."
309 Talibus horrenti dictis sic maximus heros
310 reddidit illudens : "Patrios venerare penates,
311 qui Phlegetonta tibi statuunt, Christumque relinque
312 cui facit invisum recti te devius error,
313 mene feris (quando prorsus tua fluxa potestas)
314 tormentis terrere putas et flectere leto ?
315 Ferreus aeternam nobis torus iste quietem
316 actutum pariet caelumque et sidera pandet."
317 Improbis hunc fari passus non plura tyrannus :
318 "Corripite, o juvenes, et crudum cratibus, inquit,
319 excoquite hunc hominem et diris exurite flammis."
320 Lictores dicto citius crudelibus adsunt
321 ensibus instructi furcisque bicornibus instant
322 et rapiunt positum captivum vestibus, atrasque
323 ociter in crates adigunt (miserabile visu)
324 hic medium retinet ferro complexus acuto.
325 Furca alius caedit ; seram pars altera verbis
326 segnitiam increpatat juvenemque cremari optat
327 Vulcanum instaurant alii prunasque ministrant.

328 Ferrea subjecto cratis miserum aestuat igne
329 et vires prunae diris auctorihus augent :
330 flammaram patiens rapidos Laurentius aestus
331 pro Christo tolerat venienti caelitus aura.
332 Ferreus, et saevis facibus tua terga repones."
333 Talibus horrenti dictis sic maximus heros
334 reddidit illudens : "Patrios venerare penates,
335 qui Phlegetonta tibi statuunt, Christumque relinque
336 cui facit invisum recti te devius error,
337 mene feris (quando prorsus tua fluxa potestas)
338 tormentis terrere putas et flectere leto ?
339 Ferreus aeternam nobis torus iste quietem
340 actutum pariet caelumque et sidera pandet."
341 Improbus hunc fari passus non plura tyrannus :
342 "Corripite, o juvenes, et crudum cratibus, inquit,
343 excoquite hunc hominem et diris exurite flammis."
344 Lictores dicto citius crudelibus adsunt
345 ensibus instructi furcisque bicornibus instant
346 et rapiunt positis captivum vestibus, atrasque
347 ociter in crates adigunt (miserabile visu)
348 hic medium retinet ferro complexus acuto.
349 Furca alius caedit ; seram pars altera verbis
350 segnitiam increpitat juvenemque cremari optat
351 Vulcanum instaurant alii prunasque ministrant.
352 Ferrea subjecto cratis miserum aestuat igne
353 et vires prunae diris auctorihus augent :
354 flammaram patiens rapidos Laurentius aestus
355 pro Christo tolerat venienti caelitus aura,
356 supplicio afflictus medioque repostus in igne
357 Caesaris errorem illudit (mirabile dictu) :
358 "Ah miser his rapidis credis me laedere taedis ?
359 Haec sunt (quod minime reris) solacia nobis :
360 auget opes felix nimium haec mihi flamma supernis
361 sedibus et dignos caeli melioris honores.
362 Corporis una mei tosta en pars : vescere sodes."
363 Conticuit tandem, et facibus correptus acerbis
364 indicio vultus laetum se pectore monstat ;
365 insuper et supplex tulit ultima verba precando :
366 "Nunc oculis tu, Christe, poli dator optimus aequus,
367 aspice me : linqvit vitalis spiritus artus
368 tempus adest quo me foveat tua dextera ; fas en
369 maxima praeposui cunctis tua numina rebus :
370 flammaram non ardor edax, non verbera ferri
371 non hominum vires, non regum terruit ira,
372 ut me Christigenum sancta de gente negarem :
373 hanc capias animam, et felici sidere dones."
374 Oppetit haec dicens. Clauduntur lumina somno
375 aeterno et longa capiuntur membra quiete.
376 Emicat en polus, et tractus fulgore serenat
377 aereos. Subito patet alti janua caeli
378 maximus aethereis domibus demittitur ordo
379 spirituum : expulsa volitabant nocte per auras.
380 Jam felicem animam capiunt, atque aurea supra
381 astra ferunt. Una varii discrimine cantus
382 gestavirumque canunt omnes, sonat undique crebris
383 carminibus vulgoque micans laetatur Olympus.

384 O felix nimium juvenis ! Quid laudibus istis
385 amplius accedet ? Superant tua gesta Camenas.
386 At saltem si quid terris mea carmina possunt
387 Ipse faces cratemque geres et ferrea vinces
388 verbera ; non regum furias non ora timebis
389 sed palmam referes caeli dignatus honore.
390 Tum vero ut Decius dictis offensus acerbis
391 oppetiisse virum et fato exspirasse secundo
392 novit, suppliciique genus migrasse per omne
393 indomitum, stimulis irarum tunditur imis.
394 Ingenti sese victum clamore fatetur
395 invisumque focum confusa mente relinquit,
396 regia tecta petens famulis solantibus ultro.
397 "Improbe ferre tibi quid noxia profuit arma
398 Christigenas contra jussisque obstare Tonantis.
399 Tunc flammam Deus ipse tuas exstinguet et enses
400 conteret et vires franget gladiosque tuorum
401 in te acuet : non longa dies non tuta tyranno est
402 tertius elatos fastus jam finiet annus."
403 Jamque aurora novam pulsa caligine lucem
404 extulerat rutilisque ignes subtraxerat astris.
405 Cum pius Hippolytus (quatiat licet omnia terror)
406 Justino sacrorum ibat comitante ministro,
407 inspicit impositum diris ut corpus amici
408 cratibus. Insuetas aerumnas fletibus imis
409 prosequitur tortosque dolet maestissimus artus.
410 Extemplo corpus tollunt capuloque reponunt.
411 Veranum ad campum portant. Ruit undique crebra
412 Christigenum manus, et pompam comitatur amaris
413 fletibus indulgens. Cuncti jam sacra canentes
414 de more exsequias peragunt laudesque sepulcro
415 addunt extremis demum memorabile funus
416 sedibus impositum Verano conditur agro.

FINIS